Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

RÖPL.
88

1528

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

AD PROCERES HVNGARIAE QVO SERENISsimum Principem & dñm, Dominum Ferdinandum, Hungarie & Bohemiæ &c. Regẽ, Infantem Hispaniarũ &c Archiducẽ Austrie &c. Ducẽ Burgundiæ &c. Marchionem Morauiæ &c. Comitem Tirolis &c. Dominum suum uerum & naturalem &c. plausibiliter excipiant, Valentini Ecchij Lendani, Bartpheñ. Reipublicæ præfecti, Exhortatio.

M. N. MUZEUM KÖNYVTÁRA

1528

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A.M.N. MUZEUM KÖNYVTÁRÁBÓL

SPECTABILI AC MAGNIFICO domino, Dño Alexio Thurzoni de Bethlemfalwa, Thauernicorũ Regaliũ Magistro &c. Patrono suo obseruandissimo, Valentinus Ecchius Salutem.

QVos necessaria illa Magnificæ dominationis tuæ hinc nuper abicio, acerbissimo confecit mærore, Spectabilis ac Magnifice Domine Thurzo, eos hic omniũ desideratissimus eiusdẽ reditus, iam nunc reuiuiscere facit, quandoquidẽ huc rediens non minus refers læticie q̃ abiens post te reliqueras tristitiarum, q̃q̃ & heæ, ob hortendam immanissimi hostis Turcarum Imperatoris nobis illatam calamitatem, immensæ fuerint adeo, ut neminem unq̃ illis mederi posse facile quis crediderit. Verũ ille quem adduxisti absolutissimus Princeps, ea præstat magnitudine, qua uel hunc solũ omniũ mortalium, huius afflictæ patriæ ruinam, reparare posse indubie speremus omnes, quod ut fœliciter peragat sedulo oramus deũ, qui eũ Optimũ Principẽ nobis diu superstitem uiuere cõcedat, illiq; in prona obedientia ꝓpetuaq; fidelitate obsequentissimũ subiuget hũc populũ, quẽ nos ob illius aduentũ ad cõmunẽ læticiã hac exhortamur camæna. Quã humiliter dicatam offerimus Magnificæ dñationi tuæ, cui & nostra obseqa ꝓparatissima cõmẽdam⁹. Ex Bartpha tumultuãtissime.

AD PROCERES HVNGARIAE quo Serenissimum Principem & dñm, Dominũ Ferdinandũ, Hungariæ & Bohemiæ &c. Regem, Infantem Hispaniarũ &c. Archiducẽ Austriæ &c. Ducem Burgũdiæ &c. Marchionẽ Morauiæ &c. Comitẽ Tirolis &c. Dñm suũ uerum & naturalẽ &c. plausibiliter excipiãt Valẽtini Ecchij Lendani, Bartpheñ. Reipubl. præfecti Exhortatio.

AH pereat quicũq; deo mortalia curæ
Esse negat demẽs cælestis gratia nullũ
Agnoscit finẽ, sed larga phennibus undis
Cælit⁹ afflictis placidissima gaudia terris
Impluit, & q̃uis nonnunq̃ tarda moretur
Vota hominum, tamen illa adeo latitare sepulta
Nescit, quin frontem supplex optata serenam
Proferat, En miseros post tot lamenta precesq;
Respexit tandem nos exorabile cælum
Plaudite Pannonij proceres mœstissima nuper
Pectora, depulsis iucundus nubibus æther
Prominet, ille diu uotis precibusq; petitus
Inclytus Austriacæ stirpis flos, inclytus hæres
Romani imperij, Rex FERDINANDVS honore
Ingenti excipiendus adest, Ite obuia turba

1618 quart. fach

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Ite triumphales ſuper æthera fundite cantus,
Atq; locum tanto uenienti Principi ouantes
Pandite, congeminetur Io, iubilantis in auras
Clamor eat uocis, totum hæc lux feſta per orbem
Sit cunctis, niueo quam conſignare lapillo
Nos decet, & memores ſub relligione tueri
Aeterna, quoniam hanc candenti uellere parcæ
Neuere, & ſtabili fœlicem lege dicarunt.
Hæc eſt illa dies noſtris qua ſæua tyrannis
Rapta humeris, abijt Stygias procul acta ſub undas
Plaudite Pannonij proceres mæſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet, illa lues patriæ quæ tempore longo
Protruſit miſeros in aperta pericula Ciues,
Concidit e ſolio quod nec uirtute nec alto
Stemmate præſignis nuper conſcendit iniquis
Paſſibus, antiquos dum proculcare laborat
Hungarici Regni ritus, legeſq; uetuſtas,
Et ſancita patrum, dominandi tanta libido
A puero rapuit peruerſa mente ſuperbum
At cecidit tumidus, ceu, nunc ignobile, quondam
Præclarum uulgus famulatu Regis olympi,
Dum ſuper Empyreos axes caput extulit altum,
Ad Phlegethonteas coniectum proruit undas
Zapola ſic uetitas dum ſcandere belua ſedes
Ambijt, in tenebras mox deturbatur opacas.
Non illum Solometh turpiſſima fœdera Turcæ
Chriſtigenum in mortem iam dudum turpiter icta
Nec coniurati nuper timida agmina fratres
In male ſuſcepta ſtabilem ditione tueri
Eualuere, iacet regali pulſus ab aula
Plaudite Pannonij proceres mæſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet. En uidui Regni certiſſimus hæres
Ferdinandus adeſt, Princeps regalibus auctus
Dotibus ingenij, ueteres quibus æquat abunde,
Et ſuperat miro ipſarum ſplendore coæuos.
Quandoquidem illius niuei ſub pectoris ima
Virtutum chorus Heroidum radice ſepultus
Conditur, hijs totus graphice inſignitus, Achillem
Corde refert magnum, tetrica grauitate Cathonem,
Conſilio Fabium, prudenter rebus agendis
Pompeium, bonitate Titum, rectum ſtatuendo
Traianum, omniparens tam miris fauſtiter illum
Corporis atq; animi donis natura beauit
Vt perfecta nihil conferre huc muneris ultra
Gratia præualeat, reor ora ſerena uidetis
Principis, æthereas animi teſtantia dotes,
Cernitis inuictum robur quo uindice leges
Hactenus oppreſſas potis eſt reparare, ſuumq;
Reddere ius cuiq;, & uim ui propellere ſi qua
Neſcia mens recti ſe dura opponere tentet.
Sed quid opus multis, hic fauſto ſydere totus
Ad uigilem curam populorum, orbemq; iuuandum
Eſt natus Princeps, qui publica commoda longe
Præponit uite propriæ, ſe uiuere cunctis

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Non ſibi conſtanter putat, illi hinc nulla laborum
Meta eſt, nec requies curarum admittitur ulla,
Semper in officio eſt. Sed quid perſtringere conor
Quæ ſunt magniloquo grauiter dicenda Maroni,
Vix equidem agreſtis modicum caprile Menalcæ
Ludere ſufficio, grauidas aut lacte capellas.
Plaudite Pannonij proceres mæſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet. Ecce nouo ueteres cum Principe fratres,
Quos, hæc ne penitus caderet pia patria tellus,
A Solometheis miſeratus Iupiter armis
Eripuit nuper, redeunt, Regemq; ſuperbis
Sedibus inducunt. En adeſt Bathorea propago
Ante alios Stephanus Regni Palatinus, auito
Sanguine præclarus, uirtuteq; nobilis Heros.
Iuxta illum Thurzo, uir dignus laude perhenni,
Quem uirtus, quem relligio, probitaſq; fideſq;
Omnibus illuſtrem faciunt, quo ſoſpite nunq;
Crediderim Huniacos ſuccumbere poſſe penates.
Hunc penes Antiſtes qui Vueſprimenſia templa
Maximus integro moderatur pectore Thomas,
Conſilio uir & eloquio, grauitateq; mira
Eximius, qui Caſtalijs nutritus in aruis
Inter Pierios uates quibus augur Apollo
Præſidet, hoc ſacris tantum decus attulit aris
Sed quid ago demens. præſens anguſtia claros
Qui redeunt numerare duces non ſuſtinet omnes.
Plaudite Pannonij proceres mœſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet, ille leo nuper digreſſus ab aruis
Hercinijs, Bemo radians diademate clarus,
Horrendum feritate lupum uictricibus armis
Fortiter Hungaricis ab ouilibus expulit. Ite
Ducite iamq; boues in paſcua læta coloni,
Nullus erit poſthac prædo metuendus iniquus,
Inſidias pecori tendet duce nemo leone,
Paſcentur paſſim tutos armenta per agros,
Nemo lupos metuat uigili uigilante leone,
Plectere quo faſtum nemo ſolet acrius, atq;
Parcere ſubiectis nemo clæmencior unq;.
Plaudite Pannonij proceres mæſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet, hæc dudum uarijs agitata procellis
Patria, iam tandem ſuperato turbine amicum
Continget portum, placidaq; in pace ſedebit
Hoc ſub Rege ſuo fœlix per tempora cuncta
Ergo omnis populus, proceres, iuueneſq; ſeneſq;
Tendite in occurſum uenienti Principi ouantes,
Excipite hunc hylares atq; exultate recepto,
Vndiq; plectra ſonet, cytharæ undiq;, & undiq; nerui,
Ingeminetur io, leto clamore ſalutet
Quiſq; hylaris Regem, uerum patriæq; parentem
Nominet, atq; ſuum dominum reuerenter adoret.
Plaudite Pannonij proceres mæſtiſſima nuper
Pectora, depulſis iucundus nubibus æther
Prominet æternis maneant ea gaudia ſæclis.

Auſpice Chriſto.

M.D.XXVIII

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A M.N.MUZEUM KÖNYV-TARA

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library